



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 129. S. Nicolai Tolentini Canonizatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

nunc quoque, prout jam antea promisissent, ejusmodi Concilii celebrationi lubenti, lætoque animo assensuros, simulque ac illius notitiam acceperint, accessuros locum, quem Fridericus & Principes Electores, aut ipsorum Oratores duxissent eligendum. Porro Principes in Conventu Francofordiensi decreverunt, si foret Concilium celebrandum, id convocatum iri mense Majo anni proximi in ea civitate, quam Eugenius ex sex per eos propositis eligere vellet, dummodo intra Germaniæ fines dicta civitas esset: Verum ne novo ejusmodi Synodi congregandæ labore fatigarentur, divina Providentia omnibus prospexit, morte Eugenii Pontificis paulo post eveniente.

§. CXXIX.

S. Nicolai Tolentini Canonizatio.

Interea Eugenius S. Nicolaum Tolentinum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini longe ante defunctum, ob innumera ferme miracula, quæ in vita & post obitum luculentis testimoniis comprobata indies patravit, in numerum Sanctorum retulit Calendis Februarii præsentis anni. Idemque Pontifex reformationem, quam in Sicilia Monachi Græci Ordinis S. Basilii in Capitulo Romanæ Eugenii jussu congregato decreverant,

Bullar. tom. 1. Eugen. IV. Constit. 27.

Ibid. Const. 26. & 28.

K 2

rant,

Sæcul. XV. rant, sua Constitutione ratam habuit.
 A.C. 1446. Jam antea Congregationem Fratrum S.
 Hieronymi de Fesulis confirmaverat, &
 Illicetanam privilegiis ornaverat: Necnon
 Fratres S. Ambrosii in unam Congregatio-
 nem, cujus caput esset monasterium S. Am-
 brosii ad nemus civitatis Mediolanensis,
 redegerat. Sub idem tempus Regulam
 quoque monialium S. Claræ declaravit,
 mitigavitque. Aliæ quoque extant hu-
 jus Papæ Constitutiones, quas circa va-
 rios Religiosorum Ordines edidit, atque
 omnes in Bullario relatas reperire est.

§. CXXX.

*Rosa aurea ab Eugenio Regi Angliæ
 missa.*

Conc. gener. I. abb. to. 13. pag. 1309. Harpsf. sæcl. 15. c. 14. **H**oc item anno Eugenius Henrico VI. Angliæ Regi auream, ut appellant Rosam transmisit, quam ejusdem Cubicularius Ludovicus Cardonius unacum literis Apostolicis die vigesima quarta Junii Romæ datis detulit. Equidem hujus epistolæ inscriptio præsefert, quod in ea de verni Jejunii observantia agatur, nihilominus Papa de hoc argumento satis parcum ad Regem sermonem fecisse videtur, fusiori calamo magis arcana hujus aureæ rosæ mysteria profecutus. Enarrat solemnem illius Benedictionem Romæ quarta Dominica quadragesimæ fieri solitam